



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

Dispositionis Et Perioches Historiæ Evangelicæ Secvndvm Marcvm

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

DISPOSITIONIS  
ET PERIOCHES HISTORIAE  
EVANGELICAE SECUN-  
DUM MARCUM  
LIBER I.



VSPICATUR *historiam euangelii* *Cap. 1.*  
*cam S. Marcus à baptismo & doctrina*  
 Ioannis Baptista, indicans quid docuerit,  
 quid de Christo domino testificatus sit, quomodo se gesse-  
 rit, ac Christum dominum baptizari. His adijcit pro-  
 tinus quomodo unctus reuelatusq; sit Christus, quomo-  
 do tentatione graui sit exercitatus, postremo quomodo  
 prodierit ac regnum dei prædicarit. Hic uero adhibet  
 sibi ab initio protinus dictorum & factorum suorum  
 testes, uocans aliquot discipulos, quos formet orbis to-  
 tius doctores, quando uenerat totū orbem ueritatis do-  
 ctrina illuminaturus, atq; redempturus ex potestate pes-  
 cati, mortis, inferorū, atq; Sathanae. Illis subiungit ma-  
 ximum doctrinae Christi effectum atq; uirtutem. Omnes  
 enim stupent super doctrina eius. Coercetur imò &  
 eijcitur sathanas, qui Christo cum tremore cedit.

Postea describitur ipse Christus & uirtus Christi *Cap. 2.*  
 omnipotēs, ex factis. Omnes enim morbos curat, omnia  
 mala pellit, peccata remittit, peccatores iustificat &



## EVANGELIUM

restituit integritati. Suppeditantur interim uaria fidelibus exempla, in ijs qui Christum imploraturi opem accedunt, quomodo nos quoq; oporteat accedere ad Christum. Mox repurgat dominus ieiunia & ferias populi sui ab erroribus pharisaicis, interim & uires suas depromit, demonstrans se esse filium dei. Cæterum cum ad hunc modum satis se insinuasset suorum animis, ut iam intelligere inciperent uirtutem Christi filij dei, ex ipsis designat duodecim, quibus prædicandi euangelij munus iniungit, eosdem & potentia edendorum miraculorum instruit. Deinde ostendit quod successus euangelij & miracula euangelica uirtuti diuinæ, nõ sathane aut magie sint tribuenda. Sed & suo exemplo indicat quales esse oporteat uerbi dei prædicatores, qui nimirum renunciarint carni & sanguini, & qui sint filij dei. Ex qua occasione protinus differit copiose de semine ex quo nascuntur filij dei, de auditu uidelicet uel auscultatione uerbi dei, de effectu, ui, successu, & fructu uerbi dei. Quæ omnia elegantissimis inuoluta & cooperta parabolis proponit. Adiungit item morbos uitia & pericula quibus obnoxium est semen dei, ubiq; interim uirtutem Christi maximam prædicans.

## LIBER II.

P R A E



PRÆCEDENTE libro multa de Verbo dei Cap. 5.

**P**disputata sunt. At huius unicus & certissimus scopus est Iesus saluator mundi, & fides in ipsum. Ergo ut illustrius esset nomen Christi saluatoris, et fides in ipsum cōmendatior omnibus sanctis, tres nobiles historias subiungit in cap. 5. Marcus, quibus & potentiam atq; uirtutem Christi illustrat, & fidem in Christū docet. Postea redit iterum ad uerbum dei & prædicationem uerbi. Cap. 6.

Inducit enim dominum in patria sua docentem, qui & populi sui ingritudinem acriter incusat. His pulchre subnectit ablegationem discipulorum ad munus prædicandi, atq; præcepta quibus abeuntes instruxit. Iam & obedientiam diligentiamq; discipulorum attingit. Mox connectit illustrem S. Ioannis baptiste historiam, in qua proponitur egregium exemplum boni & cordati conuersionatoris, & quis fuerit eius exitus. Rursus ad consolationem ministrorum suorum, & ad instructionem omnium fidelium, pascit turbas in deserto dominus, liberatq; in lacu periclitantes. Ita enim testificatur dominus se esse cibum fidelium, se esse pastorem summum, se dare pastores, se liberare inuocantes ipsum ex omnibus periculis, inq; tranquillum deducere portū. Et hæc quidem Cap. 7.

hactenus de Doctrina ueritatis: subiungitur illis à Marco de traditionibus humanis tractatus. Eas cauere & fugere docet dominus. Relictis tamen mox doctoribus



## EVANGELIUM

humanarum traditionum, conuertitur ad populum, & huic exponit quæ sit uera animi puritas, quis scopus doctrinæ pietatis, ut purgetur mens hominis. Postremo docetur exemplo Syrophœniſſæ uera in Christum fides, docetur quanta sit domini uirtus atq; bonitas.

## LIBER III.

Cap. 8.

**Q**UIA potissima uirtus Christianorum fides est, Marcus subiungit quædam quibus fidem piorum uerbis & factis Christi docet iterum atq; confirmat, medicans affectui qui fidem ualide obturbat, curamq; presentium rerum adeoq; ipsam diffidentiam alte infert. His coniungit exemplum incredulitatis pharisaicæ, ostendens in redulitatem scelus & nephas esse maximum. Præcipit suis ut sibi caueant à fermento phariseorum. Mox cæco oculos reddit, ut uel inde appareat quis reddat pijs oculos animi. Subiungitur deinceps confessionis ueræ fidei Christianæ exemplum. Vbi dominus permulta differit de fidei mysterijs, quomodo nobis parata salus per mortem suam: disputat & de abnegatione sui siue de mortificatione carnis. Subiungitur his transfiguratio domini, ut hinc gustum habeant uitæ futuræ quicunq; præsentem contemnunt. Postea egregio demonstratur facinore Iesum esse Messiam mundi saluato-

Cap. 9.

rem,



rem, qui e potestate diaboli uenerit liberaturus credentes, qui precibus & ieiunijs contra illius insidias inuigilant. Iam etiam modestiam animi humilitatemq; suis commendat, monens interim ne que damnemus, aut repellamus protinus: ubi & de scandalo & correctionis necessitate atq; usu disputat.

### LIBER III.

**N**VNC capitibus aliquot describit S. Marcus Cap. 10. colloquia quædam selecta & illustria domini, de arduis & ad uitam sanctam recte componendam maximopere necessarijs, instituta, unde scilicet sancti discant quomodo se in mundo pie gerant. Et initio quidem disputat de coniugio, quod contaminatum pharisaicis traditionibus restituens integritati natiue, repurgat. Deinde cum liberi sint coniugij fructus, secundo loco de illis agit, quid de ipsis quod salutem ipsorum attinet sentiamus, docens ipsos ad deum esse perducendos. Tertio loco ponitur insigne domini colloquium cum adolescente opulento: ex quo uaria discuntur: deum uidelicet summum esse bonum: qua ad celos uia pateat: quanta sit humana miseria et stultitia. Docet enim quam difficulter diuites regnum dei ingrediatur. Post hæc differit de premio uirtutum modestiaq; eorum qui premia accipiunt. Mox suis inculcat passionis sue mysterium. Ibidem innotescit in



## EVANGELIUM

petitione Iacobi & Ioannis, quàm insolescat caro. Nam hi duo petunt sibi dari à domino primatū in regno Christi: quos tamen sic compescit ut alijs quoq; eximat ambitionem & inuidiam, inserat autem modestiam & humilitatem. Sicut & in historia Bartimæi fidem inculcat.

Cap. 11.

Post hæc urbem Hierosolymorum regia ingrediens pompa, ostendit se esse uerum & expectatū Messiam, regem & sacerdotē populi dei. Iccirco pro officio suo eijcit è templo ementes & uendentes. Execratur mox ficum, in quo adumbrat tristia Hierosolymorum fata, atq; rursus docet fidem. Opponunt se illi pharisæi & primates Iudæorum, & interrogant qua authoritate id faciat quod facit? quos opposita questione retundit ualidissime. Postremo annunciat ipsis iudicium dei, excidium uidelicet & reiectionem, quam sua culpa nulla dei morositate sint passuri.

Cap. 12.

## LIBER V.

**R**ESPONDET porrò dominus mira cum modestate ad quæstiones aliquot opido utiles & necessarias. Principio enim disserit de magistratu, iubens ei quod debemus pendere. Deinde refutans Sadducæos, Valentinianorum & Marcionitarum patriarchas, asserit resurrectionē mortuorū, uitamq; futuri seculi. Postea disputat



disputat perspicue de scopo & argumento totius scripturæ siue legis diuinæ. Præterea ipsis quoq; aduersarijs suis quæstionē proponit, qua demonstrat se esse Messiam uerū, naturæ geminæ, uerū utiq; deū & hominē.

Cæterū cum aduersarij, sacerdotes inquam & scribæ, nulla ueritatis perspicuitate & euidentiâ mouerentur, sed sui similes perpetuò pergerent plebem & seducere corruptis traditionibus & inexplebili habendi cupiditate deglubere, admonet plebem dominus, ac præcipit ut caueant ipsorū doctrinam. Adhæc multa & magna ipsis impingit scelera, inter alia uero auaritiâ & sacrilegia. Ne quis tamen frustra facultates ad conseruationem rerum ecclesiasticarū conferri putaret, ualde commendat cuiusdam uiduæ donum gazophylatio illatum. Postremo omnium, prædicit imò pingit excidiū & ruinam templi Hierosolymorū splendidissimi, urbis antiquissimæ & orbis uniuersi. Adijcit & signa calamitatesq; quæ præcessuræ sint, significatrices inexplicabilium malorū. Et quoniâ seruare nō perdere cupit genus mortaliū dominus, hortatur omnes ad preces & uigiliā. Cap. 13.

## LIBER VI.

**D**ESCENDIT iam Marcus ad absolutam salutis nostre perfectionem, nempe ad salutaris salutis Cap. 14.

D



E V A N G E L I V M

crificij et redemptionis nostræ per mortem Christi, descriptionem, in qua primū recenset causas mortis, quod uidelicet attinet aduersarios Christi, sacerdotes inquam & iudam proditorem, qui cæcatus auaritia & inuidia uenditit uilissimo pretio dominum. Deinde commemorat extremam illam cœnam, in qua dominus acriter iudæ flagitium protrahens accusat, ac sacramentū & memoraculum nostræ redemptionis instituit. Inde egreditur in montem oliuarum, in itinere differit de graui illo offendiculo, quo collapsuri sim discipuli, Petrus in primis. In monte uero suppliciter orat patrem, discipulos autem dormitantes excitat. Interim accelerat cum cohorte sicariorum iudas, osculoq; tradit dominum, qui protinus à scelerū ministris capitur. In ea turba Petrus, exempto gladio, pugnat, nequicquam. At dominus uim iniustam hostium grauiter increpat. Sed abducitur uinctus ad summum pontificem. Pontifex protinus cogit consilium seniorum sacerdotumq; contra dominum. In eo inquiruntur falsi testes in exitium Christi, sed frustra. Consurgens autē summus pontifex, mortis causam questione ex Christo elicere cupit, ac rogat, num ipse sit dei filius Messias uerus? Quo annuente confirmanteq; , fertur in ipsum protinus à toto consilio senentia capitalis. Interea uero negat dominū Petrus in atrio pontificis.

Cap. 15.

Diluculo factō abducitur Iesus ad Pilatū præsidem.

A)



Et hic tentat experiturq; uaria, si eum quem innocuum esse intelligebat, liberare posset. Verū improbis populi uictus clamoribus, flagellatum Iesum tradit militibus crucifigendum. Abducitur ergo in locum caluariae, ubi inter duos latrones medius crucifigitur, uariaq; & tormenta & ludibria expertus, tandem expirat. Aeduntur mox stupenda prodigia, quibus permotus Centurio, pronunciat Christum esse filium dei. Ad uesperam uero eius dicit sepelitur decentissime à Iosepho uiro honesto & pio. Caterum tertia die resurgit ex mortuis, morte calcata. Id quod significantissime mulieribus ad sepulchrum uenientibus exponitur ab angelo.

Postea Marcus historiā suam de Christo coeptam bre Cap. 16.  
uibus absoluturus, colligit attextitq; certa quaedā argu-  
menta seu euidentia testimonia, quibus approbet domi-  
num uere resurrexisse ex mortuis. Postremo autem om-  
nium exponit tria maxima religionis nostrae capita, ul-  
timum uidelicet cōmissum domini, quo oconomiam or-  
dinauit ecclesiasticam. Deinde Ascensionem domini in  
caelos. Hinc fidem apostolorū domini exactissimam &  
successum felicem. Ita enim singula exequuti sunt uti  
mandarat dominus, ac dominus cooperatus est ipsis, ut  
sanctissima mox in orbe emerferit ecclesia.

H A E C autem tradidit hucusq; optime imò indubi-  
tate fidei testis diuus Marcus de domino nostro Iesu



## EVANGELIUM

Christo uero deo & homine, unico rege, sacerdote, & seruatore nostro, quæ scilicet dixerit & fecerit dum dispensationis diuinæ negotium ab æterno decretum, absoluit. Nostrum fuerit, implorato dei auxilio, omnem spem nostram in illum figere, qui datus est nobis ad salutem, & qui annuntiatur nobis ad lucem uitæ sanctæ & æternæ. Faxit hic rex & pontifex noster, ut in ipso uiuamus æternum. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

## DISPOSITIONIS ET PERIOCHES HISTORIÆ EVANGELICÆ SECVNDA DVMLVCAM, LIBER I.

Lucas medicus.



Edidit Lucas duo de rebus Christi et Ecclesie eius uolumina, de quibus Eusebius in historia ecclesiastica, Lucas secundum medicinam, inquit, quam ex apostolorum uel societate uel traditione susceperat, duos nobis medicinales libros, quibus non corpora sed animæ curentur, explicuit, Euangelium scilicet, in quo etiam sic præfatur, Sicut tradiderunt nobis, inquit, qui ab initio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt uerbi dei, quos & ab initio secutus sum: & Actus apostolorum, quos iam non auditu perceperat, sed oculis